



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

Parisiis, 1644

XV. De decimis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15625

cibus circumeundo fornicetur, sed vnam legitimam habeat quamdiu vixerit, qui Dei legem iuste seruare desiderat, & a gehennæ ignibus animam suam liberare. Et reddantur Deo debitæ rectitudines annis singulis, hoc est elemosyna caruarum quindecim diebus post pascha.

XV.

Decimæ de nouellis gregibus in pentecosten, terrenorum fructuum in festo omnium sanctorum. Si quis habeat, & decimam dare nolit, sicut omnium nostrorum commune est institutum, hoc est decima acra, sicut aratrum peragrabit, eat præpositus regis & episcopi & ipsius terræ domini cum sacerdote, & ingratis auferant, & ecclesiæ cui pertinebit reddant. Nonam vero partem relinquunt ei qui decimam dare nolit. Octo partes reliquas in duo diuidant, & sit vna medietas episcopi, alia terræ domini, siue regis homo sit, siue taini.

XVI.

Et Romfeoh, id est Romæ census, quem beato Petro singulis annis reddendum ad laudem & gloriam Dei regis nostri larga benignitas semper instituit, in festo sancti Petri reddatur. Qui supra tenuerit, reddat episcopo denarium illum, ac triginta denarios addat, & regi det centum * viginti solidos.

XVII.

Ciricsceat, id est ecclesiæ census, in festo sancti Martini. Qui sine licentia super tenebit, eum reddat episcopo, & quadraginta persoluat, & regi centum viginti solidos.

XVIII.

Si quis tainus in hereditate sua terram habeat, in qua cœmeterium sit, det ibi tertiam partem decimæ suæ. Si quis habeat ecclesiam, vbi positionis locus non sit, det ex suis nouem partibus presbytero suo quod velit, & eat omnis ciricsceat ad matrem ecclesiam per omnes liberas domus.

XIX.

Fiat ter in anno symbolum luminis: primum in vigilia paschæ, oblata ceræ de omni hyda, in festo omnium sanctorum, tantundem in festo sanctæ Mariæ candelarum.

XX.

Pecunia sepulturæ iustum est vt aperta terra reddatur.